



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**F. Baptiste Ma[n]tuani Carmelitæ Theologi: Elegia de
Sa[n]ctitate Ieiunii quadragesimalis**

Baptista <Mantuanus>

[Köln, 1505]

VD16 S 7260


urn:nbn:de:hbz:466:1-30556



F. IX.
16.

Th. 597H.

F. IX
16



ERZBISCHÖFL
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

Michael roppeng
Carmelita Geraldinostanq e custob hui libri

Jo. Aeffensis & Lutheri capt. Babyl.

Calut. fide et opibz.


& Lutheri 91. articulos.

De aqua benedicta et Vita Beata.

De patientia Bapt. Mant.

Eiusdem de Fortuna.

Bucolica Virgilij.





Hapriste Maria
ni Carmelitæ Theologi: Elegia de
Sãctitate leiunii quadragesimalis,

Eiusdem supplicatio ad beatiss.
uirginem Mariam.

Eiusdem uitæ suæ Epitome
ad Posteritatem.



Elegia de sanctitate ieiunii quadragesimalis,

Am cineres adsunt. adsunt ieiunia uerni
Temporis: & madidis flēs Metanōea genis.
Nūc opus o Comites sensū cohibere fluētē

Atq; bonos mores iusticiamq; sequi.

Hactenus oppressa clauum ratione uoluptas

Rexit: & ad stygias ire coegit aquas.

Nos dedit in prædam Dominis crudelibus Orci;

Vendidit inferno pectora nostra loui.

Hac duce nos olidis laruæ infixere cloacis:

Et sibi nos diræ prostituere Canes.

Illudere malæ nobis obscœnius Vmbra

Bacchus: & ad fraudes ingeniosa Venus.

Et Genius pingui gradiens distentus Omaso:

Cui comes est omnis desidis aula Gulæ.

Ebrietas: sopor: ingluuies: petulantia: risus

Scurrilitas: nugæ: desidiofa quies.

Hinc genus accepit mollis lasciua: uultu

Blandula: circeis insidiosa dolis.

Hæc tenuit sceptrum postq̄ titanius axis

Applicuit Cephei frigida regna senis.

Sed mirum est animos quando facit ille seueros:

Cur leuitas isto tempore tanta potest.

Nec tamen id mirum. seruant qui sidera tradunt

Hinc etiam Birias nascier atq; Dauos.

Nunc opus est Comites sensum cohibere fluentem;

Atq; bonos mores iusticiamq; sequi.
Mille modis tactum rapuit lasciuia & aures.
Linguam mille modis: lumina mille modis.
Quid nisi lasciuum resonant spectacula noctis?
Comicaq; in mores fabula nata pios?
Quid moduli dulces: quid personata iuuentus?
Quid lyra? quid phrygio tibia blanda sono?
Mimorumq; reges mixti lurconibus: inter
Spumantes pateras uiscereasq; dapes.
Quid choreæ poscunt nisi conculcare pudorem?
Et uitio uires auxiliumq; dare?
Viuerē in his tenebris scelus est immane: furorq;
Vel lethæa grauis quem facit unda sopor.
Ebria mens oblita sui per lustra ferarum
Fertur: in immunda sordida dormit humo.
Nec minus insanit: q̄ si uir nobilis ortus
Classibus e primis: per fora nudus eat.
Per fora nudus eat: iaceatq; in puluere: toto
Corpore: & obsceno perlinat ora luto.
Perlinat ora luto: iaculansq; per aera saxa
Seria tractantes non finat ire uiros.
Nunc opus est Comites sensum cohibere furētem.
Et terricas leges consiliumq; sequi.
Omnia quæ confert oblectamenta uoluptas
Præcipiti cursu fluminis instar eunt.
Semper abit uelox: nec habet retinacula tempus:

Et uolueri fugiunt mobilitate dies.
Disce quid hic possit sperari optabile; quando
Nasci pœna: labor uiuere: triste mori
Quid sit forma docent uiolæ: rosa: lilia: quorum
Imbecilla ætas tam breue tempus habet.
Aurea cæsaries sordescet: & uiuida quondam
Splendidaq; in rugas contrahet ora cutis.
Pro candore subit pallor. uicina ¹¹ ætus
Corpus aternalí polluit omne situ.
Conficiunt oculos lachrymis stillantibus anni;
Et ueniens reddit lumina torua dies,
Lumina Lucifero nunc æmula: lumina flammis
Quæ faciunt hominum feruere corda suis.
Qualia quæ Turnum quæ corripuere Lœandrum;
Pelidem: Eneam: Demophoonra: Parim.
Quid leuibus uentis: quid inani fidimus umbræ?
Perperibus: si uis fidere: fide bonis.
Nunc opus o Comites sensum cohibere fluentem;
Atq; bonos mores iusticiamq; sequi.
Tandem canus homo uitæ oneratus & annis
In tumulum uita deficiente ruit
Sæpius ante diem dum florida uiuitur ætas
In cineres atros prima iuuenta redit.
Id modo significant conspersi puluere crines:
Dictaq; cum sacro puluere uerba nouem.
Vita: licet uiueat; semper contermina fato est;

Et spaci superest inter utrunq; nihil.
Qui sapit: & qui non: qui seruit & imperat: æqua
Et miser & felix: conditione cadunt.
Nunc opus o Comites sensum cohibere fluentem
Atq; bonos mores iusticiamq; sequi.
Iam cineres adsunt: adsunt ieiunia verni
Temporis: & madidis flens Metanœa genis.
Hæc est illa uetus simplex & casta parentum
Quæ in terris mundo uita recente fuit.
Nam neq; tunc hominî cæsis animantibus uti
Fas erat. arboreis frugibus usus erat.
Quod pirus & malus: quod habebat aquatica Lotos
Quod Rubus: illius temporis esca fuit.
Per dumeta greges ibant impune per arua.
Vellere & uberibus se redimebat ouis.
Non erat ingluuies tanto saturanda labore:
Omnis erat sumptu splendida mensa leui.
Nec domini seruis prandebant Lautius. unas
Terrigenis epulas una ferebat humus.
Talia mandabat Samius conuiuia poni
Contentus uitæ simplicitate senex.
Talia Saturnus: quid dicitur aurea quondam
Sæcula: & innocuos instituisse dies.
Hæc igitur nobis uita est reuocanda quotannis.
Quæ premat affectum: luxuriamq; domet.
Nunc opus est Comites sensum cohibere fluentem

Atq; bonas leges iusticiamq; sequi.
Moribus obscœnis totiens offendimus ipsum
Aetheris a summo qui tonat axe Deum.
Qui statuit maria & terras & sidera: tanto
Ordine cœlestes qui facit ire polos
Qui fuit: est: & erit sine fine & origine: tanti
Diligit humanum qui pietate genus.
Qui fuit in terris olim sub imagine nostra
Visus: ut ad cœli nos animaret opes.
Et quia nos fieri superos propensius optat:
Si quod obest uotis talibus odit opus.
Nostra autem uotis dementia talibus obstat:
Et qui cæca facit pectora nostra furor.
Hæc sunt illa igitur quæ tam uehementer acerbant
Numina facturæ tam studiola suæ.
Inde fit ut quotiens homines delinquere cernunt:
Cœlicolas animo fama sit esse graui.
Omnia tristantur cœlestia regna: tonantem
Cum lædi offensa religione uident.
Et natura docet Diui quid mente uolent
Cum cernunt spreto nos dare terga Deo.
Tunc etenim pictor diuis lugubria fingit
Ora. genas humiles: triste supercilium.
Tum stygii manes lethæaq; numina gaudent:
Et celebrant festos in Phlegethonte dies.
Cerberus exultans minus est uenientibus asper:

Et minus horrífico mugit ad antra sonos
Iam Cíneres adsunt:adsunt ieiunia uerni
Temporis:&madidís flens Merancea genís
His corrupta bonís mens instauranda duobus.
His medicamentis restituenda salus.
Multa pudicitiam soluunt obsonia:multo.
Fit sensus petulans:& sine lege mero.
Pauperies aufert quod fert opulentia.parco
Atq; rudi improbitas est abolenda cibo.
At quæ luxus iners peperit mala gaudia:franget
Dicta peregrino quæ Merancea sono est.
Hæc igitur nostris duo quæ contraria morbis
Omne fugant: si sint continuata nefas.
Qui gemit:& luget:sceleris quem poenitet:omnes
Ad ueniam superos prouocat atq; Deum.
Rex solymum. Dauid fuerat qui factus adulter
Nequitiam tali lauit in amne suam.
Sic sua piscator sepelisse piacula Petrus
Dicitur:& quassam restituisse ratem.
Post stephani lapides famosaq; crimina Paulus
Taliter ex imo uenit in astra solo.
Nunc opus o Comites sensum cohibere fluentem:
Atq; bonas leges:consiliumq; sequi.
Et nunc tempus adest renouandis utile rebus:
Quando humus in fruges incipit ire nouas.
Iam discessit hyems inimica feracibus aruis:
a iiii

Libera discussa iam fuit unda gelu,
Iam rediit Progne. iam sunt de prole Palumbes
Sollicitæ: uenerem iam meditantur aues,
Incipiunt natis thalamos componere: cunas
Texere: & aerias ædificare domos.
Inflamantur: amant: & uoce fatentur amorem:
Ac passim dulci garritate sonant,
Rusticus ad cantus aures accommodat istos
Dum colit: & putrem uomere scindit humum,
Vomere scindit humum. spargitq; legumine cãpos:
Vnde sequens alias colligat annus opes,
Nunc renouât plumas uolucres: coluberq; ueternũ
Exiit aspirans ad iuuenile decus,
Primo igitur Comites reparantur ut omnia uere:
Et natura suum tota recentat opus:
Sic animi probitas est instauranda: uetustas
Sordida tollenda est: & cariota cutis.
Nunc opus o Comites sensum cohibere furentem:
Nostraq; diuino subdere colla iugo,

F I N I S.

¶ Supplicatio ad beatissimã uirginẽ Mariam.
Gloria terrarum: Cœli: Regina: Tonantis
Mater: in humanis portus & aura malis,
Cum peccata miser tristi mea mente reuoluo
Hiscere conspectus me pudet ante tuos.
Nam tu labe cares omni. tu mundior auro

Quod decies acris ^{Inclit aut pinguis} torruit igne faber,
Ast ego tabificis Erebi sum perlitus undis:
Er mea sunt stygio sordida membra luto:
Sed quotiens recolo tua tam clementia corda:
Sollicitat paulo me minus iste pudor,
Spes mihi respondet placidam mitemque futuram
Atque tuam nobis pollicitatur opem,
Ergo meas sordes non auersata fauorem
Fer mihi progeniem iugiter ante tuam,
Comprime bacchantes bona per mortalia sensus
In scelus oppressa qui ratione ruunt,
Fac sapiant ori caelestia pabula nostro:
Fac mea diuinus pectora pungat amor,
Fac habeam terras odio, fac tartara uincam
Cum phlegethonteos concitat ira Deos
Esto mei custos inter discrimina uitae
Nec manus in corpus sauiat ulla meum,
Te duce fit mihi fas in olympica regna reuertis
Et tibi discussio ponere uota iugo
Te tua Progenies interueniente gubernet
Rebus in aduersis meque meamque domum.

F I N I S.

¶ Fratrís Baptístæ Mantuaní Carmelitæ theologi uitæ suæ Epítome ad posteritatem.

O Bona posteritas: quâ post mea fata relinquo:
Quæ fuerit uitæ per lege somma meæ


Istius accepi lucis primordia: quintus
In folio Petri quum Nicolaus erat.
Nunc in puppe sedet: rector qui nouus ab illo est
Iulius: & pacem doctus & arma senex.
A teneris colui musas: mihi semper ad artes
Ingenuas calcar cura paterna fuit.
Propterea manes eius reuerenter adoro:
Et precis assiduae sedulitate iuuo.
Religio placuit iuueni: placuere Cuculli,
Vitaque claustrali semi sepulta domo.
Cum patribus uixi: quibus a genitrice Tonantis
Nomen: & Heliae sub ditione fui.
Me uirtutis amor multas perduxit ad urbes:
Et sophia uarios fecit habere duces.
Plurima perlegi: didici: docuique: nec ullum
Dum licuit studii tempus inane fuit.
Multuagum Christo feci seruire poesim
Et superis uires ingeniumque dedi.
Et mihi cura fuit nostros extollere ritus:
Ac semper ueteres extenuare deos:
Plurima conscripsi: quae si uentura probabunt
Saecula: durabit nomen in orbe meum.
Nolo tamen meritis precium pro talibus istud
Maius amant animae nobilisque bonum
Haec aeterna modo sit mihi gloria uitae:
Humanae titulo nil mihi laudis opus.


Sæpe magistratus & publica munera gessi:
Vitaq; perpetuo facta labore fuit
Sed quotiens ad il perplexa negocia: semper
Eximia iuuit me pietate Deus.
Per mare; per fluuios iui per saxa: per alpes:
Mortiferam pestem; bella: famemq; tuli.
Sed superi casus mecum uenere per omnes:
Et mihi se fidos exhibuere duces.
Sic precor ut uitam quæ me rexere per omnem
Prospera sint fini Numina sancta meo.
Ad senium ueni: stadium uitale cucurri.
Et fero iam dudum pro pugione rudem
Liber ab hoc tandem mortali corpore uadam,
Ad superos: uel quo me deus ire uolet.
Ipse mihi pater est: quocunq; uocauerit ibo
Et mala non ægra singula mente feram
Me tamen illius precor ut clementia blande
Suscipiat: sceleri nec sit acerba meo.
O populi pacem qui me coluistis habete:
Et pro me accensis sacrificate focis.
Tu quoq; Carmeli montis Longeua propago
Spiritus fac sis officiosa meo.
Crebra sacerdotes pro me libamina Christo
Reddite: & ad ueniam sollicitate Deum.


F I N I S,


2. ...
3. ...
4. ...
5. ...
6. ...
7. ...
8. ...
9. ...
10. ...
11. ...
12. ...
13. ...
14. ...
15. ...
16. ...
17. ...
18. ...
19. ...
20. ...
21. ...
22. ...
23. ...
24. ...
25. ...
26. ...
27. ...
28. ...
29. ...
30. ...
31. ...
32. ...
33. ...
34. ...
35. ...
36. ...
37. ...
38. ...
39. ...
40. ...
41. ...
42. ...
43. ...
44. ...
45. ...
46. ...
47. ...
48. ...
49. ...
50. ...
51. ...
52. ...
53. ...
54. ...
55. ...
56. ...
57. ...
58. ...
59. ...
60. ...
61. ...
62. ...
63. ...
64. ...
65. ...
66. ...
67. ...
68. ...
69. ...
70. ...
71. ...
72. ...
73. ...
74. ...
75. ...
76. ...
77. ...
78. ...
79. ...
80. ...
81. ...
82. ...
83. ...
84. ...
85. ...
86. ...
87. ...
88. ...
89. ...
90. ...
91. ...
92. ...
93. ...
94. ...
95. ...
96. ...
97. ...
98. ...
99. ...
100. ...

1 1 1 1 2









Th

597